

1773,55.
1918
10.

PROCANCELLARIUS
ROMANVS TELLER

FACULTATIS IVRIDICAE ASSESSOR VRBISQUE
SENATOR

SOLENNEM PANEGYRIN

QVA

VIR PRAENOBILISSIMVS ET DOCTISSIMVS
CHRISTIANVS GOTTLob RICHTER

LICHENSTEINENSIS

IVRIS VTRIVSQUE DOCTOR

CREABITVR

A. D. XXX. DECEMBER. A. R. S. CICIOCCCLXXIII

CELEBRANDAM

INDICIT

De suorumque Procuratior. & Imperial. libertat. socios.

PROGAGELLARIAS
ROMANAS TELLER
TYPICAS ET HISTORICAS ANTIQUAE
SENIATOR

SORTIMENTA RARITATUM

A.D.

AN PROGAGELLARIAS ET HISTORICAS
CHRISTIANAS GOTTLOB RIECHTER
THEATRIS STETINENSIS

LARS ULVSGAARD DOCTOR

CARTA

STETINENSIS A.D. MDCCLXII

EDIDIT LARS ULVSGAARD

ESTAMPA

STETINENSIS A.D. MDCCLXII



Quae ratio quique modus succedendi olim fuerit decurionum, cohortalium, et nauiculariorum in bona collegiorum, ab intestato mortuorum, excluso fisco, ostendimus nuper, cum solennem Panegyrin Consultissimi REYMI indiceremus. Eodem vero pacto etiam fabricenses bona membrorum suorum, nullo prorsus herede existente, nanciscebantur *l. 5. C. de hered. decur.* Quorum quidem fabricensium collegia seu fabricae haut paucae per totum Orbe Romanum, tam in Occidente, quam in Oriente, extiterunt, quarum meminit *GUTHERIVS de Offic. dom. Aug. L. III. c. 12.* In his autem fabricis varia armorum genera fabricabantur, ut arcus, sagittae, spathae, enses, semispatha, loricae, et in vniuersum omnia, quae ad armaturam faciebant; *Nov. 85. cap. 4.* atque ista arma ex nobiliori ferri materia erant confecta, quam prouinciales conferre debebant, adeo, ut loco materiae solutione pretii, aut eius quod intercesseret, haut liberarentur. *l. 1. C. de fabric.* Si vero, qui

in istis armificatoriis operas praestabant, fabricenses, seu fabricensii, vii est in d. Nov. 85. c. 2. dicebantur, et nemo in eorum collegium cooptabatur, nisi probare posset, se a curiali conditione plane liberum esse, id est, nec auo nec patre curiali progenitum, nihil se ordini ciuitatis debere, nulli se ciuili muneri obnoxium commanere l. 4. C. de fabric. quique semel cooptati essent, ab hac conditione recedere non poterant. Quare eorum, certe tironum, brachiis, ex auctoritate Imp. ARCADII, stigma seu nota publica infligi solebat, vt si quando operas declinarent, fugitiui ac latitantes hoc modo eo facilius agnosci posset. l. 3. C. eod. Adeo autem huic ordini seu collegio adstricti erant, vt non modo ipsi, verum etiam illorum soboles eidem seruire et adhaerere cogerentur, nec minus delictum ab uno perpetratum, totius collegii periculo commissum censembar, vt sic constriicti nominationibus suis, sociorum factis speculam quandam garent, et sic vnius factum ad reliquorum omnium dispendium transiret. l. 5. C. eod. Publicae illae fabricae erant sub imperio magistri officiorum, vt patet ex inscriptione Nov. 85. et l. 2. 3. 5. et 6. C. eod. erantque earum Praepositi ex ipso collegio, et primus inter eos *Primicerius fabricae* vocabatur. l. 2. C. eod. Illi arma milium procurabant, et conquirebant eos, qui priuatim arma fabricarent. Nemini enim, nisi fabricensibus, permisum erat arma conficerre, multo minus vendere, quod quidem ipsis etiam fabricensibus prohibitum fuit. Vnde etiam statim arma confecta ad armamentum deferenda erant, et si apud quemquam priuatorum arma essent reperta, ea his auferebantur et fisco addicebantur. Habuit autem hoc collegium, praeter successionis emolumendum in bonis membrorum, etiam alia priuilegia. Sic v. g. primicerius fabricae, qui eam administrabat, post biennium vacationem suae administrationis obtinebat, nec solum vacatio-

nem,

nem, verum etiam cum honore dimittebatur, ita quidem, ut in praemium rerum bene gestarum, inter protectores ad Principis purpuram adorandam, h. e. per admissionum magistrum solenni et hoc tempore visitato more ad Principem salutandum admirteretur, quod quidem ita siebat, ut adoratus seu salutatus in genua ante Principis pedes procumberet, et oblatam sibi Purpuram seu vestem Principis *γονυλανής* manibus attingeret, eamque ori admonueret. vid. **GOTHOFREDVS** ad l. 4. C. *Theod. de Praeposit. f. cubic.* qui quidem maximus honor eo tempore habebatur. l. 1. C. *de domeſt. et protector.* Eodem pacto non poterant super ciuilibus vel curialibus munieribus coram alio iudice, quam magistro officiorum conueniri l. 6. C. *de fabric.*

Porro fisci successionem etiam excludebat legio et vexillatio, seu cuneus, sub quo nempe is, qui intestatus sine legitimo herede decessisset, militauerat. l. 6. §. 7. in fin. $\pi\tilde{\nu}$ de iniust. *rupto et irrit.* *fact. testam.* et l. 2. C. *de hered. recur.* Cuius quidem priuilegii auctorem non esse **CONSTANTINVM**, cuius nomen prae se fert huius legis inscriptio, sed **CONSTANTIVM**, diserte docet l. 1. C. *Theod. de bon. milit.* continens rescriptum huius Imperatoris ad Bonosum, magistrum Equitum, quo hoc ipsum priuilegium concessit, et quidem tunc temporis, cum esset in expeditione Persica Hierapoli constitutus. vid. **GOTHOFREDVS** ad d. l. 1. Bona autem, quae hoc modo, fisco excluso, ad legionem vel vexillationem pervenissent, *caduca legionum*, l. 4. §. 17. $\pi\tilde{\nu}$ de *fideicomm. heredit.* et qui eorum rationes conficerent, *librarii caducorum* l. vlt. $\pi\tilde{\nu}$ de *iur. immun.* dicuntur. Ea tamen non semper legioni vel vexillationi obueniebant, sed tum demum, si miles indemnatus sine testamento sua morte periuisset. Nam, si miles capite damnatus fuisset, ab intestato in bonis castrensis cognati succedebant, usque ad quintum solummodo gradum, et post

eos fiscus. l. 2. π^r de veter. et mil. success. Et sic haec ipsa lex explicanda videtur, nisi antinomiam admittere velimus inter ipsam et l. 2. C. de hered. decur. vbi cognati militis intestato vita functi non circumscribuntur quinto gradu, et defientibus cognatis non fiscus vocatur, sed legio aut vexillatio. Ut itaque merito distinguendum sit inter indemnatum et condemnatum militem, ita, ut priori specie, bona, nullo scilicet cognato nec testamento existente, ad legionem aut vexillationem transmissa fuerint; posteriori vero, non condito testamento, quod etiam condemnatis facere licuit, l. 1. π^r de vt. et mil. succ. cognatis ad quintum usque gradum cesserint. Ceterum legio vel vexillatio tenebatur quoque ad libertates praestandas, quibus forsitan in codicillis a milite ab intestato mortui grauata fuerat. l. 4. §. 17. π^r de fideicom. hered. vbi pro: caducis legionum, legere: caducariis legibus, maluit CVIACIVS in not. ad Vlpiani fragm. Tit. 28. §. 7. et ad l. 3. C. de bon. vacant. id est, legibus Iuliis, quibus bona fisco addicebantur. Attamen haec emendatio, quippe minime necessaria, merito aliis Viris doctis displicuit. De his enim caducariis, quibus bona caduca vel vacantia fisco vindicabantur, omnino intelligenda sunt verba praecedentia: si alia ratione agnoscat; ideoque hunc locum accipiendum esse de bonis caducis, vel vacantibus intestari militis, quae legioni deferuntur, extra dubium est. l. 6. §. 7. π^r de iniust. rupt. irrit. fact. test. l. 2. C. de heredit. decur. add. GOTHOFREDVS ad l. 1. C. Theod. de bon. mil. IAN. A COSTA ad §. 1. Inst. de eo, cui lib. consuru. canf. bon. addit. SCHVLTINGIVS ad d. Vlpiani tit. 28. §. 7.

Eodem etiam modo succedebat Area Praefecti Praetorio Praefectiano. In ministerio Praefecti Praetorio plures erant Officiales, seu, ut alias vocantur, apparitores, de quorum quidem numero etsi haut satis constet, tamen eorum quamplurimos fuisse, manifestum certe sit ex eo, quod in solius

Praef-

Praefecti Praetorio Africæ officio fuerint trecenti nonaginta sex. *l. 1. §. 3. C. de Offic. Praefest. Praet. Afr.* Fuit autem eorum officium pro variis ministeriis, quæ ab iis praestanda erant, magis vel minus honoratum. Inter honoratores computantur Cornicularii, Primiscrini et Praefectiani, qui, ut pote illustris maxime potestatis, singularibus priuilegiis præ reliquis apparitoribus fruebantur. *l. 8. Cod. Theod. de diu. offe.* Nam post bene peractos labores, pro multis erga rem publicam sudoribus, vt est in *l. 3. C. de offic. apparit. Praef. Praet.* singulis annis purpuram Principis ipsis adorare licuit, *l. 1. C. eod.* Praeterea ab omnibus indictionibus tam militaribus, quam ciuilibus, exempti, nec aliis iudicibus, quam ciuilibus, subiecti erant, et solum coram Praefecto Praetorio, si praefens esset, conueniri poterant, in Prouinciis autem coram Praefidibus, nisi in dignitate essent constituti. De Praefectianis autem hoc adhuc obtinebat, vt, si quis eorum, vel cum militiam gereret, vel post depositam cingulum, nullis ab intestato successoribus derelictis, fati munus impleuisset, omnes reliqui patrimonii facultates non fisco, sed arecae Praefecti Praetorio vindicarentur *l. 3. C. eod.*

Eodem priuilegio conspicui erant socii Imperialis liberalitatis. Solebant olim veteres, successiones, possessiones aut bona proscriptorum, vel etiam thesauros, aliamque rem quamcunque vacantem, seu caducam fisco quaefitam, communione nomine, seu communiter iunctis nominibus, veriti, ne singuli omnem bonorum substantiam ob eius magnitudinem impetrare non possent, vel per mutuum concursum alter alterum impediret, a Principe petere, qui, vel ob ministerii fidem, vel ostendenda munificentiae suae causa, his petitionibus saepius annuebat, *VIV AMMIANVS MARCELLINVS de VALENTE Imperatore testatur L. 21. c. 14.* Qui autem tale beneficium a principe impetrassen, iure veteri socii liberalitatis

Impe-

Imperialis et consortes vocantur *I. vnic. C. & Liberal. Imper. soc.*
iuncta I. 1. et 2. C. Theod. si petit. soc. sine hered. deced. Verum
 postea inuercundis potentium inhiationibus multis Impera-
 torum constitutionibus occursum est, quo pertinet *Tit. C.*
Theod. de petit. et ultrodat. Inprimis autem **I V S T I N I A N V S**
I. r. C. de petit. honor. sublat. omnibus prohibuit, bona, ex
 quacunque causa fisco adquisita, petere, ita quidem, ut si
 quis contra legem ausus fuisset sperare, quod non licuisset,
 violatae legis reus haberetur, et si de facto impetrasset, eius-
 modi largitio inualida esset, nisi proprio motu Principis facta
 fuisset. Ratio prohibitionis erat, quia haec bona fiscalia ner-
 rum reipublicae continebant, et sine reipublicae detimento
 alienari haut poterant. Nec tantum statuae poenae obnoxii
 erant illi ipsi, qui perfuerint, verum etiam Quaestores, qui
 oblatis petitionibus subscrivissent, vel responsa dedissent, et
 Comes rerum priuatarum, qui talem petitionem, si qua oblata
 fuisset, admisissent, indignationis poenam sustinebant. Me-
 moriales, qui eiusmodi rescripta exceperint, et Palatini, qui
 acta admissae petitionis edidissent, aliquique, quorum auxilio
 et opera tales petitiones admissae vel adiutae essent, bonorum
 proscriptioni subiacebant. Cum tamen valida adhuc esset do-
 natio vel liberalitas rei vacantis vel caducae haut petita, sed
 motu proprio et sponte facta ac concessa, Princeps autem
 hanc liberalitatem vni vel pluribus tribuere posset, ii quidem,
 in quos talis liberalitas, vt eam inter se veluti communem ha-
 berent, collata esset, etiam iure nouo, post petitiones subla-
 tas, socii seu consortes liberalitatis Imperialis dicebantur, quo-
 rum, si vnus sine herede deceperint, eius pars, tanquam va-
 cans et caduca, non fisco, verum condonatario, quasi mi-
 nuendi moeroris causa adquirebatur. *I. vnic. C. & Liber. Imper.*
soc. Ambiguitur autem, quo iure? Sunt, qui putent, hanc
 ipsam succedendi rationem adhuc a Principis munificentia pe-
 pendisse,

pendisse, et in eius arbitrio positam, adeoque noua concel-
 sione opus fuisse, ut itaque, ex eorum opinione, sententia
d. l. unic. haec sit: *Principem, si partem socii vacantem si coque*
adquisitam, alicui iterum concedere velit, debere eam potius tribuere
socio, quam extraneo. Verum vix probabilis videtur haec ipsa
 interpretatio. Repugnat enim disertis ipsius legis verbis. Ait
 Imperator: *Iubemus, vt ad consortem pars decedentis perueniat.* Ex quibus patet, istam bonorum accessionem neutiquam fuisse
 noui priuilegii aut beneficii munus. Etenim primum, *iubere*
 et *concedere* toto coelo inter se differre, satis constat, deinde
 si Imperator voluisse, *vt noua concessione opus esset, sane*
 non usus fuisse formula: *vt perueniat.* *Peruenire enim dicun-*
tur, quae ipso et suo quodam iure adquiruntur, non quae
 specialem adhuc desiderant largitionem. Sed quaeritur: quo-
 nam iuris vinculo superstes socius partem socii demortui cepe-
 rit? Nonnulli volunt, ad portionem deficientis socii viuum
 titulo heredis seu successionis vocatum fuisse, idque in com-
 pensationem dolorum, et solatium iacturae morte consortis fa-
 ctæ, simulque in memoriam illius societatis, quae in ipsa
 donatione esset contracta. Verum longe probabilior mihi vi-
 detur eorum sententia, qui contendunt, hanc portionem va-
 cuam mortui socii ad socium, vel socios reliquos, si plures
 huius donationis consortes fuerint, non iure successionis, sed
 iure accrescendi peruenisse, quod praesumta voluntate condi-
 torum huius legis ntitur. Etenim, si Princeps rem quam-
 cumque duobus vel pluribus donasset, vt, si unus aut item
 alter eorum sine herede deceperisset, eius portio alteri socio vel
 sociis adquireretur, neutiquam vero ad fiscum reuerteretur,
 cautum fuit *d. l. unic. C. si liber. Imper. soc.* Quod quidem
 non fieri potuit iure heredis, quia nullus heres fingi potest,
 nisi qui in viuens defunctum, siue solus, siue cum aliis,
 repraesenter *l. 24. π de verb. signif. l. 62. π de R. I.* Iam vero

Superstes socius non repreäsentat defunctum. Nam si hoc
 esset, non adquireret tantum partem bonorum praemortui
 vacuam, sed totum eius patrimonium. Verum cum hoc
 ipsi haut cedat, manifestum est, eum non succedere iure he-
 redis, verum alio singulari quodam titulo, nempe ex iure
 accrescendi, quod repetendum est ex prae summa donatoris
 voluntate, eadem fere ratione, quae obtinet in legato eius-
 dem rei, quae pluribus legatariis ad eandem rem vocatis a
 testatore relata est, qui tantum per concursum partes faciunt,
 alioquin solidum habituri ex coniectura voluntatis testatoris, ex
 qua partes deficientium collegatariorum superstibus reliquis ad-
 iudicantur. Quod autem ius accrescendi inter eos tantum valeat,
 qui non diuerso, sed aequo iure videntur, hanc nostram senten-
 tiā tam parum infringit, vt potius huic magnopere fauet.
 Etenim ipsi quoque socii non diuerso, sed eodem iure vo-
 cantur, nempe ex liberalitate Principis, duobus vel pluribus,
 coniunctis eorum nominibus, facta. Nec in contrarium me-
 mouet, quod in contractibus, quibus donationes merito an-
 numerantur, ius accrescendi locum non reperiat. Nam et si
 hoc in vniuersum regulae loco positum in se verum est, ta-
 men saepenumero in multis speciebus, in contractibus quo-
 que, quasi ius accrescendi reperitur. *l. 1. §. 3. n. de usufi.*
accresc. l. 5. n. comm. praed. l. 6. 4. n. de contrah. emt. Prae-
 terea, etiam si in donationibus, quae inter priuatos celebran-
 tur, nullum admittere velimus ius accrescendi, tamen id ex-
 tendi non posset ad donationes, quae sunt ex liberalitate Prin-
 cipis, cuius beneficia plenissime sunt interpretanda. *l. 3. n.*
de Conf. Princ. GOTHOFREDVS ad l. 2. C. Theod. si pet. soc. sine her-
red. Alia adhuc eaque subtilior quæstio est, vtrum statim de-
 ficientibus liberis haec pars caduca ad socium superstitem per-
 tineat? Quod multi affirmant propterea, quia heredum ap-
 pellatio saepenumero non ad quoscumque heredes pertineat,

verum

verum ad solos liberos restringatur, huiusque sententiae
 praesidium quaerunt in l. 1. C. Theod. si petit. sine hered. ver-
 bis: nec superflites dereliquerint successores; quae explicarentur
 per subsequentia: qui intestatus aut sine liberis deceperit: ex quo
 concludunt, socium ad portionem vacantem statim admitti,
 ac si liberi defint. vid. GOTHOFREDVS ad d. l. C. Theod.
 Cui quidem sententiae ego subscribere haut possum. Nam
 etiam vel maxime verum sit, in illa ipsa lege per successores
 tantum intelligi *solos liberos*, tamen si Imp. CONSTANTEM
 audiamus in l. 2. C. Theod. cod. ex hac ipsa luculenter appa-
 ret, in l. 1. successorum appellatione non tantum liberos, ve-
 rum omnes heredes, cuiuscunque gradus ac ordinis, conti-
 neri. Ait autem ille: si nullo herede derelicto deceperit, ad con-
 sortem potius etc. Herendum autem nomine non tantum com-
 prehenduntur soli liberi, sed in uniuersum omnes ii, qui
 quavis ratione successionem in bona defuncti adipiscuntur,
 et si verbis non sint expressi, l. 65. l. 70. l. 170. π. de verb.
 signif. l. 194. de R. I. l. 17. §. 8. π. ad SCt. Trebell. l. fin. C. de
 hered. inst. l. 22. C. de legat. Persuaderi itaque mihi non
 committam, statim post liberos socios admissos ac sic vxori
 et collegiis praecipatos fuisse. Nam socius tum demum par-
 tem alterius socii caducam capit, si nullus heres existat, l. vn.
 C. si liberal. Imp. soc. itaque, si heredes adsint, hos socium
 superstitem excludere sequitur. Et cum etiam collegia sensu
 juris heredum nomine comprehendantur, arg. l. 4. C. de bon.
 vacant. necessacio inde fit, haec quoque sociis preferenda
 fuisse, qui solum ante silecum veniant post omnes heredes.
 Nec obstant verba supr. laud. leg. unic. ad personam aliam,
 quae intelligi non possunt de successione vxorum, aut, his
 deficientibus, collegiorum, quae singulare priuilegium ha-
 bent, succedendi in bona membrorum suorum, ab intestato
 sine legitimo herede demortuorum, sed referenda sunt ad

eiusmodi personas, qui olim vacantia bona a Principe petere solebant.

Haec quidem hactenus. Iam vero officii ratio a me postulat, ut id exequar, cuius causa hanc scriptionem suscepit. Decreuit nimurum Ordo noster summos iuris scientiae honores Candidato doctissimo

CHRISTIANO GOTTLLOB RICHTERO

LICHTENSTEINENSI

de cuius vita et studiis, quibus ad hunc gradum contenderit, ex instituto moreque maiorum, ea, quae ex ipso resciui, ante omnia debo breuiter commentari, ut virtutis ergo arguatur, qui doctoris dignitatem promeruit, et qui in hac bonarum artium officina Iurisprudentiae operam dant, habeant praeclarum exemplum, quod non modo intueantur, verum etiam imitentur.

Natus est Candidatus noster Lichtensteinii, ditionis Schoenburgicae, anno huius saeculi quadragesimo quinto a. d. IX. mensis Iunii, patre CHRISTIANO ERNESTO, qui primum Illustrissimo Comiti a SCHOENBURG, OTHONI GUILIELMO, ab epistolis fuit, postea vero tum huius, tum filii, GUILIELMI HENRICI, cuius in itinere per Germaniam comes fuit, cuiusque praematurum obitum etiamnum omnes boni lugent, gratia suffultus Actuarii in praefectura Lichtensteiniensi partes summa cum integritate laudabiliter diu sustinuit. Matrem veneratur IOANNAM ELISABETHAM, e gente HOPPERTIA, quae eum vna cum parre a teneris vnguiculis usque ad hunc diem omni caritate fouit. Quos indulgentissimos parentes, ut Deus Optimus Maximus

diu

dia adhuc saluos sospitesque ipsi conseruet, et tranquilla senectute, secundo vitae, sine villa offensione, cursu frui iubeat precatur!

Quam primum rationis quamdam quasi maturitatem duxisset, traditus est disciplinae magistrorum scholae Lichtensteensis, qui omnem operam impenderunt, ut tenero eius animo verae pietatis sensum, et initia literarum, quibus puerilis aetas impertiri solet, instillarent. Quo nomine in primis praedicat REIMIVM, tum temporis Rectorem, nunc Diaconum, atque MATHESEIVM, qui Cantoris munere apud Lichtensteinenses fungitur. Sed quem dulcis parentum cura, elucescente hauri mediocri ingenii bonitate, studiis literarum destinauerat, necesse erat, vt maior schola caperet. Quare eum adhuc filiolum, calamitoso illo belli civilis tempore, pater deduxit Grimmam, amoenissimam studiorum sedem. Ibi ergo a. d. XXI. Mart. A. CCCCCLVIII. in numerum alumnorum scholae Prouincialis receptus est. Carebat tum haec Musarum sedes Rectore, qui non multo post constituebatur FRID. IMMAN. SCHWARZIVS, quinquennio post ad Praefulatum Penicensem electus, nunc quidem S. S. Theologiae Doctor, ac Praeful meritissimus, Ci-zensem Dioecesim summa cum gratitate gubernat. Atque huic ipsi, qui omnem ingenii et iudicii sui vim, quam omnes norunt in eo hauri exiguam esse, non modo excitauit, verum etiam acuit et confirmauit, eumque omnibus humanitatis benevolentiaeque generibus semper prosecutus est, tantum se debere ait, quantum hominem homini debere fas sit. Sed, praeter hunc, reliqui, qui tum erant, huius scholae illustris magistri, KREBSIVS, nunc Rector celeberrimus, OPITIVS, vita defunctus, GENSELIVS, quem, post discessum Schwar-
zii, per breve tempus praceptorum habuit, SIBOLDVS

atque RICHTERVS ad omnem humaniorem disciplinam ipsi
viam aperuerunt, ac fidelissima institutione de eo optime
meriti sunt. In primis KREBSIO graecarum latinarumque litera-
rum gustum, et acquisitam latine scribendi facultatem acce-
ptam referunt.

Quinquennium ac semestre spatium Grimmiae com-
moratus, impetrata honesta missione, mense Septembri A.
cicocclxiii. pacatis Saxoniae rebus, in urbem patriam reu-
sus est. Transacta ibi hieme, post mercatum vernalem A.
cicocclxiv. Lipsiam se contulit, Rectore Vniuersitatis Litera-
rum, Magnifico BOEHMIO, numero ciuium Academicorum
adscriptus. Initium studiorum suorum, vt par est, fecit a
philosophia, cuius, Dialetica a SEYDLITIO prius per-
cepta, praecceptorem habuit CRYSTIVM, cuius subtilis philo-
sophandi ratio adeo ipsi placuit, vt integrum triennium scho-
lis eius dicaret. Historiam autem Philosophiae a BVRSCHERO
acepit. Cum vero incredibilem literarum, quibus est ab huma-
nitate nomen, amorem in schola Grimmiana semel concepisset,
eundem frequentandis lectionibus ERNSTI, magis
magisque auxit atque confirmauit. Nonnihil quoque
temporis CLODII praelectionibus tribuit. In Histo-
ria addiscenda BOEHMIVM ducem elegit, eiusque accuratam
docendi rationem sibi magnopere profuisse fatetur.

In vniuerso autem disciplinarum iuridicarum orbe per-
grando duces elegit SAMMETVM atque BREVNINGIVM.
Vtrunque enim docentem audituit Ius Naturae ac Gentium,
Ius Civile, eiusque historiam. SAMMETVM solum Ius Pu-
blicum tam Vniuersale, quam Imp. Rom. Germ. Legationum,
Clientelare, rationem Iuris Civilis interpretandi, et historiam
Iuris patrii: BREVNINGIVM rursus solum Ius Ecclesiasti-
cum, Criminale, et Germanicum priuatum. In Iure Eccle-
siasti-

siaſtico atque priuato Germanorum addiscendo etiam HOM-
MELIVM, Praesidem Collegii nostri Grauiſſimum, ſecu-
tus eſt. Disciplinas forenſes denique ZOLLERVS, ac medi-
cinam forenſem LVDWIGIVS iſum docuerunt. Quorum qui-
dem excellentiſſimorum praecceptorum maxima in ſe merita,
per omnem vitam gratiſſimo, tum animo, tum ore, ſe praedi-
caturum pollicetur.

Quadriennium doctorum ſcholis datum erat, cum ani-
mum ad ſcribendum adpelleret. Proceſſit igitur in publicum,
et Exerc. de liberis exheredibus in testamento minus ſollemni parentum,
Praefide ZOLLERO, a. d. xiii. Mai. A. ccccccclxviii.
defendit. Iamque, ſtudiis Academicis ad finem perductis,
conſtituerat, reliqua hac Alma Philurea, domum redire, cau-
ſiſque forenſibus operam nauare. Sed mox mutauit conſi-
lium, ac Lipsiae remansit. Neque poſtea ſcholam defuerit,
donec tandem A. ccccccclxix. a. d. xvi. Octobr. ſuperato
magno cum elogio ſolito examine, ab Ordine noſtro, Iuris
Vtriusque Candidatus renunciatetur. Ab eo tempore docendo
alios hauiſtam in ſcholis praecceptorum Iuris ſcientiam augere
atque amplificare, et in communem reipublicae uitialatem con-
uertere cum laude ſtuduit.

Sic probe eruditus et ad maiora praeparatus denuo Ordin-
em noſtrum adiit, vtque ſummi vtriusque Iuris honores, fu-
turae vitae ſuae rationibus idonei viſi, iſpi tribuerentur mode-
ſte petiit. Admissus ad alterum examen, quod talium hono-
rum candidati ſubire debent, quodque rigorofum dicunt, egre-
gia eruditionis variae doctrinaeque ſpecimina praefitit, qui-
bus ſpem antea de eo conceptam non modo exaequauit, ve-
rum etiam longe ſuperauit, dignus propterea vnaimi suffra-
gio indicatus, qui voti ſui compos fieret. Iuſſimus igitur
Eum prodire in publicum, habitaque die xxix. Decembris le-
tione

Etione cursoria ad L. vnic. C. de *Thesaur.* proximo eiusdem
 mensis die xxx. libellum, quem de iure thesauri a mercenario
 inuenti erudite conscripsit, proferre in cathedram, eumque a
 Virorum doctorum objectionibus palam defendere. Quo fa-
 eto Vir Illustris ac Iurium Consultissimus HENRICVS GO-
 THOFREDVS BAVERVS, Supremae Curiae Provincialis
 Assessor, Pandectarum Antecessor, Capituli Wurzensis Cano-
 nicus, et Collegii nostri Assessor meritisimus, Collega aman-
 tissimus, cui ego clementissime constitutus Procancellarius,
 Promotoris vices delegau, iura et priuilegia Doctorum nostro-
 rum, sola spe obtainendi olim loci in Collegio nostro excepta,
 dignissimo Candidato conferet. Optamus vero magnopere,
 ut et Eius ornandi, et studiosae iuuentutis ad liberalis doctri-
 nae laudem eo acrius excitandae gratia, haec solennitas a
 quamplurimis celebretur. Itaque rogamus RECTOREM
 ACADEMIAE MAGNIFICVM, ILLVSTRISSIMOS CO-
 MITES, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES, GE-
 NEROSISSIMOS denique NOBILISSIMOSQVE COMMI-
 LITONES, et quotquot rei nostrae ac litteris bene cupiunt,
 velint Candidatum atque Ordinem nostrum praefentia sua ho-
 norifica dignari, sibique prorsus persuasos habere, se non in
 ingratis hoc beneficium esse collocaturos, sed omni officiorum
 genere omnique opera, qua studium nostrum amore que illis
 possimus ostendere, nos illud omnes ac singulos vicissim esse
 demerituros. Scripti Lipsiae, A.D. XXV. Decembr. A. R. S.
 CCCCCLXXII.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

ULB Halle
003 935 957

3



56.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Farbkarte #13

Cyan

Blue



1773-55.
1918
10

PROCANCELLARIUS ROMANVS TELLER

FACULTATIS IVRIDICAE ASSESSOR VRBISQVE
SENATOR

SOLENNEM PANEGYRIN

Q V A

VIR PRAENOBI LISSIMVS ET DOCTISSIMVS
CHRISTIANVS GOTTLLOB RICHTER
LICHTENSTEINENSIS
IVRIS VTRIVSQVE DOCTOR

CREABITVR

A. D. XXX. DECEMBER. A. R. S. CCCCCCLXXIIII

CELEBRANDAM

INDICIT

De suorum Navicularior. & Imperial. libertat. scior.